

cillioribus esse licebat; ne vel adiacens offenderetur
iis oesophagus, aut deglutiendi etiam boli impedirentur
aut attinerentur.

Laryngi autem pariter efformari non conveniebat,
quippe qui inter deglutiendum attolli intra gutturi
structuram, postea vero residere iterum deberet:
loco igitur mutato sub deglutitione posteriùs imper-
fecto esse non competebat laryngi, ut tracheae: imò
valore ibi majore opus erat, pro retinendo exactiùs
formaturo vocem aëre.

Perfectas autem *bronchi* cartilagineas, quod & è Ga-
leni nostri l. 7. d. part. usu dicto capite discas suo
loco, pulmones occupant, & eorum parenchymati
implantantur passim, *Bronchorum* nomen obtinentes,
perpetim gratia jugiter pererraturi aëris patulae,
quas & *quadratas* quandoque, non modò teretes, *ὡς*
ἐπὶ τὸ πλεῖστον fieri quod amat, observatas scimus.

Membranae autem *bronchicae* communes propriae
que sunt: illae geminae, *interna*, cui oesophagus, lin-
gua, palatumque adeò ipsum participat: *externa*,
altera, mollior & gracilior. Crassio rem verò esse,
decebat internam, ne praeterlabentium humorum
acredine exulceraretur: siccam verò non nihil pro
commotiore vocis sono. certè is ab excessu humo-
ris subraucus: siccitatis autem asper nimis & stridulus
efficitur.

Tunica, propria membrana, (non nemini liga-
mentum habita) duplex & ipsa est.

Posterior puta, quae juxta bronchi longitudinem
decurrens extremitates angulorum gutturalium colli-
gat & connectit, pro voce vel dilatanda vel constri-
genda.

Tuni-